



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Ecclesiæ Mechliniensis, Anni M. DCC. XVIII. Circa  
Bullam Unigenitus**

**Archidiocèse <Malines>**

**Bruxellis, [1719]**

Exemplar Epistolæ Circularis Missæ ad Archipresbyteros Rurales, &  
(mutatis mutandis) ad Amplissimum Dominum Archipresbyterum  
Metropolitanum, & ad Capitula Ecclesiarum Collegiatarum Diœcesis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40699**

## EXEMPLAR EPISTOLÆ

*Circularis Missæ ad Archipresbyteros  
Rurales, & ( mutatis mutandis ) ad  
Amplissimum Dominum Archipres-  
byterum Metropolitanum, & ad  
Capitula Ecclesiarum Collegiatarum  
Diœcesis Mechliniensis.*


*Reverende Domine*

**E**X debito Nostro conservandi Sacro-Sanctæ Fidei Depositum, emanavit Epistola Nostra Pastoralis, cuius acclusa Exemplaria Reverentiæ Vestrae transmittimus, ut singulis Districtus sui Pastoribus, aliisque ea communicet. Per hanc Epistolam nostram subditis nostris exponimus, quo loco habeamus, ipsique habere debeant, ad nostrum, omniumque Episcoporum Orbis Catholici ( paucis in Galliâ exceptis ) ipsiusque Summi Pontificis Exemplum Refractarios illos, qui, omnimodam obedientiam præstare recusantes Constitutioni Unigenitus, Ecclesiam turbare tentant nefando Schismate. Constitutio hæc Unigenitus acceptata est priusdem, & legitimè publicata, non tantum in Diœcesi hâc nostrâ de Mandato Reverendissimi tunc Vicarii Generalis Capitularis Sede Vacante, sed & ab omnibus Illustrissimis, & Reverendissimis Belgii hujus Episcopis in suis respectivè Diœcesibus; atque ideo ab omnibus nostris subditis eamdem Constitutionem, eâ, quâ par erat, obedientiâ acceptatam fuisse, non dubitamus. Nota insuper Nobis est puritas Fidei, & zelus, quo laborat Reverentia Vestra ( idemque de singulis Districtus

fui

( 33 )

lui Pastoribus in Domino confidimus ) ut oves sibi  
commissæ non excurrant ad venenata pascua, & nè  
aures præbeant Lupis ovinâ pelle vestitis. Hæc ea-  
dem, & puritas Fidei, & vestrûm omnium zelus  
Nos inducunt, ut planè confidamus, Greges Ve-  
stros prædictorum Refractariorum scandala igno-  
rare, unde illud præcipuum Curæ Vestræ, Pasto-  
rumque Districtus tui esse debet, ut Populum  
Vobis creditum, & ignorantem, ubi opus fuerit,  
instruant, & confirmant privatim; cùm non ex-  
pediat è suggestu denuntiare scandala illa, & offen-  
siones Refractariorum, nè inculta plebs, ad ma-  
lum proclivis, in periculosa fortè inducatur cu-  
riositatem, incipiatque amare quod nescit, aut imi-  
tari quod hactenùs deflectit. Dum hæc de solitâ  
vestrâ sollicitudine expectamus, toto corde subscri-  
bimur. Mechliniæ 26. Octobris 1718. Reverentia  
Vestræ, Addictissimus. Erat signatum. THOMAS  
Archiepiscopus Mechliniensis.



## EXEMPLAR EPISTOLÆ

*Amplissimi Domini de Coriache Archi-  
presbyteri Metropolitanæ Ecclesiæ  
Mechliniensis, nec non Magni Consilii  
Suæ Cæsareæ ac Catholicæ Majestatis  
Consiliarii:*

*Excellentissime, ac Reverendissime Domine*

**J**Uxtà mandatum Excellentissimæ Dominationis  
Vestræ incunetanter per Districtum meum cu-  
ravi distribui Epistolam ejus Pastoralem, quoad  
receptionem Constitutionis Apostoliçæ Sanctissimi

C

Domini